

www.e-rara.ch

**Theses physicae aliquot, de mundo, corporum naturalium omnium
compage**

Platter, Felix

Basileae, 1654

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-23084>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Calenda

Lib. 436, N° 8.

THESES PHYSICÆ
ALIQUOT,
DE MUNDO,
CORPORUM NATURALIUM

OMNIUM COMPAGE.

Quas,

Θεῶ πρῶτες,

In Alma & celeberrima Universitate

BASILEENSI,

AUTHORITATE & LICENTIA

Reverendi, Amplissimi & Sapientissimi

Ordinis Philosophici:

SUB MODERAMINE

VIRI Experientissimi & Clarissimi,

DN. FELICIS PLATERI,

Philosophi & Medici Doctoris Celeber-

rimi, nunc Ordinis Philosophici

Decani Spectabilis:

Ad diem 6. Januarii, An. M DC LIV.

Horis locoque solitis

Velitationi Philosophicæ publicè subicitur,


& pro viribus tueri conabitur,

OTTO MALETTA,

Samadeno-Rhætus.

BASILÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Universitatis Typographi.





VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis, Prudentia

Consilioq; conspicuis.

DN. BALTHASARO A' PLANTA, militiarum Praefecto Strenuissimo, & Sedem Ministralem olim aliquoties Zuzii fideliter administranti, Patriæ lumini fulgentissimo, Patrono suo plurimum honorando.

DN. JOHANNI A' SALIS Samadenensi, Serenissimi Regis Hispaniarum Capitano Generoso, Sedem Ministralem olim Samadeni feliciter Gubernanti, Fautori perpetim colendo.

NEC NON

VIRIS

Reverendis, Excellentiss. Clarissimis,

DN. THEODORO ZVINGERO, S. S. Theol. D. V. T. Profess. Eccles. Bas. Antistiti, & Facult. Theol. p. t. Decano Spectatiss.

DN. SEBASTIANO BECKIO, S. S. Theol. Doct. N. T. Profess. celeberrimo, Coll. Theol. Seniori Venerando.

DN. JOHANNI BUXTORFIO, S. S. Theol. Doct. Ling. S. & Loc. Comm. Profess. Clarissimo.

DN. JOH. RODOLPHO WETSTEINIO, S. S. Theol. & Philosophiæ Doct. Organi Aristot. Profess. acutissimo.

DN. M. HARTMANNO SCHVARZIO, Eccles. Curiensis Antistiti, Foederis Decem-Jurisdictionum Decano Spectabili.

DN. ESAIÆ SCHUCANO, Schamsiensis Eccl. Pastori fidelissimo, Venerandæ Synodi Rhaticæ, in Foedere Cathedrali, Decano dignissimo.

DN. M. JOHANNI DANTZIO, Eccles. Zuziensis Parocho Vigilantissimo, totius Venerandæ Synodi Rhaticæ, Cancellario benè merito: Fautori meo plurimum colendo.

DN. JOHANNI SCHUCANO, Eccles. Samadenensis Ministro fidelissimo, agnato omni honore & amore prosequendo.

UT ET

DN. BAPTISTÆ MALETTÆ, Mercatori, nunc Venetiis degenti conspicuo, Fratri dilectissimo.

Hanc studiorum suorum primam messem, in debiti honoris monumentum, sacram vult

OTTO MALETTA, A. & R.
Philosophiæ Candidatus.





THESES PHYSICÆ,

De

MUNDUS.



Undum communem corporum naturalium συλλογὴν, tanquam majus & excellentius DEI miraculum, ut Visibile opus, ad invisibilis DEI gloriam, aliquot Positionibus nobis consideraturis, & Palæstræ sive Velitationi Philosophicæ subjecturis, adsit inexhaustus ille Sapientiæ fons, admirabilis Mundi machinæ Architectus Sapientissimus.

THESIS I.

Mundus Latinis, & Græcis κόσμος, rectè à pulchritudine sua & ornatu ita dicitur.

Pulchritudo hæc nō tantum in totius istius Machinæ facie, sed etiam fabricæ, *ἁρμόζια, φιλία, κοινωνία* & usu cernitur, ut rectè Poëta ille cecinerit;

Non alio Mundus, debebat nomine dici:

Nomen ab ornatu, convenienter habet.

Idem à quibusdam Universitas, ὅλον καὶ πᾶν vocatur, idque non immerito: quicquid enim extra Deum uspiam est, Mundi ambitu continetur.

Mundi vox, tam à Theologis quàm à Philosophis, variè & multipliciter usurpatur, nos tamen, laconismo studentes, varias istas appellationes omnes præterimus, hoc tantum in transitu monentes, iniquè & minus rectè à quibusdam negari, hanc vocem quandoq; in Sacris pro solis electis, sicut contrà in aliis multis locis pro solis reprobis accipi. In præsentì Velitatione, Mundum, prout est totum aggregatum, & quidem ordinatum, ex creaturis corporeis tam corruptibilibus quàm incorruptibilibus, cœlestibus & subcœlestibus corporibus, compositum, adeò universæ naturæ compages, consideramus.

II.

Mundus est Systema corporum naturalium omnium, à Deo creatore, ad sui gloriam, in Viventium, Hominis præcipuè usum, creatum & pulcherrimè ordinatum.

Mundus ut totum aliquod aggregatum, & quidem non temerarium sed ordinatum, non aliter definiri potest, quàm per Systema, hoc est, compagem ordinatam, plurimorum & completorum corporum naturalium, ordine certo, ad finem unum, dispositorum, qui est geminus, principalis, Gloria Dei, minus principalis, Conservatio specierum naturalium, Viventium imprimis, atque maximè Hominis, ut terreni globi gubernatoris, à Creatore Sapientissimo, constituti.

Mundus licèt sit totum aggregatum,
suam tamen & Materiam & Formam
habet.

Mundum habere analogiam cum toto aliquo inte-
grali, imprimis si ejus ordo elegantissimus spectetur,
nullum inveniri posse, qui non manifestè percipiat,
indubitatè asserimus, & proinde etiam suis partibus ana-
logicè essentialibus, nempe Materia & Forma, con-
stare affirmamus. Materiam itaque Mundi esse dici-
mus Coelum, elementa, simulq; omnia corpora, ex his
orta & his contenta. Formam verò Mundi essentialem
constituimus, corporum naturalium omnium ordina-
tionem convenientem & artificiosam, sive unicum
illum mirabilem & perfectissimum ordinem, quo res
illæ inter se connexæ ac sapientissimè copulatæ ac
distinctæ, à summo illo Opifice, sunt, qui *ut ait Plato; εἰς
τὸν αὐτὸν ἐκ τῆς αἰτίας ἦσαν*. Non ergo Mundi Forma,
ut Stoici aliiq; Philosophi voluere, anima quædam
est, à qua Mundus animal dici mereatur.

Quòd si enim Mundus esset Animal, secundùm
omnes sui partes, Mundum sibi similem, ex se ipso, in-
terveniente virtute procreandi, jam dudum genuisset.

Adde quòd si Mundus quadam singulari anima
informaretur, nunquam partes contrariis & sibi re-
pugnantibus qualitatibus imbutas admitteret, cùm
tamen quædam Mundi partes sint mortales, ut bruta,
quædam immortales, ut homines: quomodo autem
una & singularis anima, altera sui parte mortalis, alte-
ra verò immortalis esse potest? Ut autem melior ex-
plicatio Formæ habeatur, dicimus quòd universi For-
ma nihil aliud sit, quàm *συμμετρία* illa, quâ res per se

contrariæ & disjunctæ, in universi illa mole & serie,
concordi quadam discordiâ, copulantur, junguntur,
& conservantur.

IV.

Mundi causa efficiens est Deus Opti-
mus Maximus, qui eum creavit ex nihilo,
ad sui gloriam, & viventium, maximè
hominis conservationem, in quibus duobus,
geminus Mundi finis, principalis &
minus principalis, conspicitur.

Causa Mundi efficiens est ipsum primum ens, primus motor, D. O. M. qui Mundum condidit liberè ex nihilo, in principio, pleno voluntatis omnipotentis nutu, à quo tanquam principio procreante & conservante omnia dependent. Cum itaq; Mundus cum suis contentis, ratione sui ortus & conservationis, à Deo creatore dependeat, ideò & palàm est, à Deo creatore, ut Causa efficiente, omnia ista provenisse & orta fuisse. Quæ enim componuntur ex Materia & Forma, Actu & Potentia, ut creata omnia, à se ipsis esse nequeunt, nam licèt nec Materia sine Forma, nec potentia sine actu, uspiam aut unquam sit, vel per naturam esse possit, tamen horum neutrum alterum producere potest, nisi interveniat causa efficiens externa, eaque vel dependens & orta à priore aliqua, vel independens & prima, ad quam ascendendo, etiam luminis naturæ ductu, in ordine causarum, tandem pervenitur. Deū Mundum ad sui gloriam, & hominem præcipuè ut creaturarum regulum, produxisse, ex Sacris Paginis & imprimis historia creationis, cuius legenti obvium est,

est, quare rectè finis Mundi principalis, Gloria Dei, minus principalis, Hominis, & propter hominem, reliquarum creaturarum, conservatio, constituitur.

V.

Mundus non est æternus, nec talis esse potuisset.

Licet summus ille Philosophus Aristoteles, Mundum esse æternum variis argumentis rationibusque conatus sit probare, *lib. 8. Phys.* & aliis in locis, & id frustra & quidem contra veritatem, nos tamen eum minimè æternum esse, sed per creationem coepisse, ex S. Scriptura scimus, ut ex *libro Genes. cap. 1. v. 1.* Ubi dicitur, *In principio Deus creavit Cælum & Terram:* item ex *Psalmo 33. v. 6.* ubi *Verbo Domini cæli creati, & Spiritu Oris ipsius omnis virtus sive exercitus eorum esse pronunciantur. Et eodem Psalmo vers. 9.* Dixit, scilicet Jehova, & facta sunt, mandavit & creata sunt omnia. Rationibus quoque probari potest, Mundum minimè æternum esse: si enim Mundus tum principio tum fine careret, Mundus ipse esset Deus, essent item actu plura infinita, partes oēs Mundi essent æternæ & immutabiles, quæ omnia absurda esse, recta ratio & Sacræ Paginæ nobis dictitant. Et cum solus Deus æternus sit, & ei coævum nihil esse possit, ideo concludimus, Mundum non esse æternum, & absurda statuere omnes illos, qui illum æternum esse contendunt, imò nec eum æternum esse potuisse: nam potentia Dei, quæ semper est absoluta, non respicit ea quæ implicant contradictionem, Mundum verò ab æterno fieri potuisse, implicat contradictionem, tum respectu causæ suæ efficientis, Creatoris sc: tū modi effectiois, nempe creationis, imò sui ipsius, ut effecti. Quis enim non videat esse contradic-
tionem

tionem inclusam, si dicam, productum coævum esse suo producenti? Insuper, cum creatio sit ex nihilo productio, creaturam prius nihil fuisse, & demum accepisse per creationem suum esse, est necesse, quo pacto ergo ab æterno potuit creari? Denique cum creatura dicatur habere esse participatum & acquisitum à Deo suo Creatore, si Mundus fuisset ab æterno semper habuisset esse, neque assignari posset in illa æternitate tempus, quando ille suum esse acquisivisset.

VI.

Mundus sua magnitudine est finitus.

Mundum esse finitum patet, quia partes ejus finitæ sunt: eas enim finitas esse ex inductione earum constat, nam cum finitum sit cælum, utiq; reliquas omnes, utpote quæ cœli ambitu continentur, finitas esse in propatulo est: quoniam verò omne quantum est finitum, & cælum quantum sit, & ipsum finitum esse extra dubium est. Adde quòd in gyrum vel circulariter circumagi minimè posset, si infinitum esset cælum, quòd si enim tale esset, lineæ à centro ductæ in infinitum distarent, cum autem motus cœli circularis, sit reditus ab eodem in idem punctum, in infinito autem punctorum infinita sit distantia, impossibilis esset finito tempore in infinito spatio recursus cœli, & sic cælum circumvolvi non posset; ast cum cælum circulariter moveatur, ut constat ex motu Stellarum circumpolarium, & ex Solis stellarumque fixarum assidua conversione, relinquatur illud, adeoque totum Mundum, finitum esse.

VII.

Mundus numero est unus.

Mundum unum numero esse patet; partim ex Sacris li-

cris literis, ubi unius tantum Mundi mentio fit, ut
Genes. cap. 1. Roman. cap. 5. v. 12. Johan. cap. 1. vers. 10.
Partim ex sententia multorum Philosophorum. Tha-
les enim & discipuli ejus, ut refert Plutarchus, *libr. 2.*
de placitis Philosophorum, Plato in *Timeo*. Aristot. *libr. 1.*
de Cælo cap. 8. & 9. multiq̃ue alii, Mundum unum nu-
merò esse asserunt: Partim ex quorundam Patrum
sententia & imprimis Augustini *de Civitate Dei libr. 7.*
cap. 9. in fine. Deinde Athanasii in *Oratione contra Idola*,
ubi sic dicit: *Unus est conditus à natura Opifice Deo Mun-*
dus, ne plures numerò Opifices crederentur, sed ex uno ope-
re, unus quoque illius Author, crederetur. Partim de-
nique rationibus sat firmis, quales sunt; Unum est
primum movens: unum primum mobile: unus pri-
mus motus circularis, cui alii omnes subordinantur: &
una materia: hinc concludimus, unum numerò Mun-
dum esse, contra Metrodorum aliosq̃ue permultos,
qui plures Mundos esse existimabant, uti in eorum
scriptis videre est.

VIII.

Mundi figura est Sphærica, quæ inter
omnes alias figuras capacissima & perfe-
ctissima existit.

¶ Mundo ut corpori perfectissimo, nullam aliam fi-
guram præter Sphæricam; Sapientissimus Archite-
ctus assignare voluit, vel ideò, quòd hæc figura inter
omnes alias sit capacissima, & inter figuras corporeas
Hoperimétras, id est, quæ habent æquales circumfe-
rentias, ordinatissima, & sola talis, quæ periculū vacui,
à quo natura abhorret, evitare possit. Insuper partes
principales Mundi, inter quas elementa recenseri so-

lent, orbicularis cū sint figuræ, ut præsertim in aqua & terra sensus perhibent, & totum Mundum orbicularis & Sphæricæ figuræ esse demonstrant. Nec obest hîc, quòd Mundus *extensus sicut pellis*, vel *sicut Tabernaculum*, esse dicatur in *Scriptura S.* non illic enim figuram cœli exprimere intendit, Plaltes Regius, ubi hæc leguntur, ut ex antecedentium & consequentium collatione patet, sed potius officium cœlorum atque facultatem, quâ Deus creavit cœlos indigitare voluit, Ergo adhuc;

Hæc æterna manet diviſiō, ſimillima forma,

Cui neq; principium eſt uſquam, nec finis in ipſa,

Sed ſimilis toto remanet, per q̃ omnia par eſt.

IX.

Mundus omnibus modis absolutus & perfectus est.

Mundum, secundū omnes suas partes absolutum & perfectum esse, ex historia creationis ejus colligi potest, imprimis ex *Genes. cap. 1. v. 3* 1. ubi dicitur: *Deus vidit omnia quæ fecerat, & ecce erant valde bona*, quid autem illud est, quod fecerat? nisi quæ sunt in Mundo, quæ complectitur Mundus, imò Mundus ipse. Si autem à partibus constitutivis ad totum constitutum consequentia firma est, necessario concluditur, quòd si partes Mundi sint perfectæ, ut patet, Mundum quoque perfectum esse. Perfectus autem est Mundus, non tantū per finitam suam essentiam & absolutam in tantum, ut ea nec magis nec minus recipere possit, sed etiam secundū varietatē & distinctionem earum rerum, quas suo ambitu continet: tantā enim naturarum varietate & distinctione, quoad Ge-
nera,

nera, Species & affectiones proprias, Mundus constat, quanta ad ejus perfectionem requiritur, ut ex inductione, à qua brevitatis causa abstinemus, hoc deduci possit. Insuper & ordinatio perfectionem ejus demonstrat: omnes enim universi partes, tum ad se mutuò, tum ad Deum creatorem ita sunt ordinatæ, ut perfectior ordo nullus excogitari possit. Nec hîc defectus, qui in aliquibus individuís, quoad membra vel operationes occurrunt, aliquid de Mundi perfectione, demere possunt.

X.

Mundus, cùm per creationem cœperit, non in tempore, sed cum tempore, fuit conditus.

In eo principio, in quo Deus creavit cœlum & terrâ, & Mundus suæ existentiae seu durationis habuit initium, & tempus esse cœpit, ideoq; Mundus non in tempore, sed cum tempore rectè cœpisse dicitur: sunt enim corporum cœlestium orbiculares circumvolutiones, quæ cum ipsa Mundi creatione, suum ortum habuere, quia ordinatissimæ, temporis mensura ac regula, quâ dein reliqui motus omnes, imò & cœlestes inter se numerantur, & hinc etiam sine dubio, dies septem creationis, numerari cœperunt. Quo autem anni tempore Mundus esse cœperit, & in quo signo Zodiaci Sol primò ortus fuerit, aliquid certi statuere, idem esse, ac rem ignotam & circa centrum terræ latitantem, in lucem producere velle, statuimus, hoc tamen, ex situ terræ & rotunditate ejus, pronuntiare possumus, omnia anni tempora, respectu globi ter-

reni, in diversis locis, in prima creatione, simul
existisse.

XI.

Mundus sicut per generationem naturalem non cœpit, ita nec interiturus est per naturalem corruptionem.

In Mundo alia sunt corpora simplicia, alia mixta, ex quibus torus constituitur. Simplicia, cœlestia imprimis, cum ex contrariis qualitatibus, in se invicem agentibus, adeoque causis corruptionis naturalis, non constent, corruptioni non sunt obnoxia: mixta quidem secundum sua Individua, in perpetuo sunt fluxu, & inter hæc, alia diuturnioris, alia brevioris vitæ, pro conditione & ratione mixtionis suæ, existunt, secundum speciem tamen, quia semper ex his uno intereunte, succrescunt alia, nunquam planè corrumpuntur, his enim omnibus datum est sui multiplicatio per sobolem, adeò ut hac interveniente, nec Mundus ab hac sui parte, per corruptionem naturalem interire possit.

XII.

In Mundo, causam, specierum naturalium perennitatis, motum primi mobilis, Individuorum verò perpetui fluxus & continuationis, interveniente generatione & interitu, motum secundorum mobilium, statuere, non adeò absonum.

Aristotelis hæc est sententia, qui eleganter demonstrat,

strat, quòd motus primus sit causa perennitatis specie-
rum, secundus verò individuorum successionis conti-
nuæ, interveniente generatione & corruptione, nam
is sub finem *lib. 2. de Generatione & Interitu*, postquam
duplicem corporum cœlestium motum, ad hæc effi-
cienda necessarium induxit, tandem ita concludit:
*τῆς μὲν ἐν συνεχείᾳς ἡ δ' ὅλης Φορὰ αἰτία. ἣ ὡς στέναι καὶ
ἀπέναι ἡ ἐγκλισις.* Quasi diceret, continuationis igitur
specierum, quæ in Individuorum continua suc-
cessionem consistit, causa est motus totius universi, adeo-
que primus, accessus verò & recessus Solis & reliquo-
rum planetarum, causa est declivitas seu obliquitas si-
gniferi circuli, qui cùm æquatorem, regulam primi
motus, interfecet, propterea cuius regioni terreni
globi, Solem & Sydera errantia reliqua, nunc adducit,
nunc abducit, & sic, hoc accessu & recessu Syderum,
perpetuam generationem & interitū Individuorum,
continua vicissitudine, ut causa efficiens, sicut hæc ele-
ganter & pluribus in illo capite ab Aristotele demon-
strantur, efficit.

XIII.

Mundus non secundum suas partes
tantum, sed etiam secundum se totus, est
in loco naturali.

Cùm locus, sit terminus locati potius, quàm locan-
tis corporis naturalis, quare nec Mundum hoc suo ter-
mino, etiam secundum externam suam superficiem,
cùm juxta hanc corporis naturalis rationem habeat,
carere, asseveranter pronuntiamus: Firmus enim
cùm sit mundus, sicut in præcedentibus abundè jam
demonstratum est, ideò & terminum, magnitudinem

ejus circumferentem, qui nihil aliud, quàm locus
ejus naturalis, est & esse potest, ponere oportet.

XIV.

Ex sex locorum differentiis, nullæ præ-
ter superum & inferum, Mundo per se
tribui possunt.

Pythagoras, Plato, & Aristotel. reliquiq; Philosophi
Veteres ferè omnes, ut ex Galeno Plutarchus refert
libr. 2. de Placit. Philosophorum cap. 10. omnes locorum
differentias, Mundo & suis partibus continentibus,
& non tantùm contentis, adscribunt. Sic Aristot. *libr. 3.
de Cælo*, cœlesti machinæ has differentias duplici mo-
do assignat, ratione enim diurni motus, in Oriente
dextrum, in Occidente sinistrum, in Meridie anticum,
in Septentrione posticum, in Polo Antartico supe-
rum, in Arctico inferum, ratione autem motus secun-
dorum mobilium, planè in contrariis terminis, has
loci differentias collocat. Conimbr. *in explanatione
libr. 2. de Cælo. Arist. cap. 2. quæst. 1. Art. 2.* has locorum
differentias, cœlo per se competere, videlicet ratione
suorum orbium & intelligentiarum motuum vo-
lunt, ita enim ajunt; *Est itaq; hujusmodi dexterum qua-
libet cæli pars, cum primum ad Orientem pervenit, ubi
ab intelligentia, quæ illic perpetuò residet (neq; enim cum Or-
be circumfertur) impulsus accipit. Ex quo facile intelli-
gere, quo pacto cætera positionum differentia Cælo insint.* At
hæc omnia, cœli adeoque Mundi naturam & formam
inspicientes, respondemus, has locorum differentias
omnes, non aliter Cælo & Mundo tribui posse, quàm
quatenus ad hominem, nunc in hac, nunc in illa Mun-

di regio-

di regione situm, Cœli motus contemplantem, referuntur. Conimbricentibus intelligentiarum assistentiam & vim motricem planè negamus, & astra à sua insita forma, ut corpora naturalia alia omnia, circumagi & impelli, statuimus. Cùm verò Cœlum & Mundus, ut supra demonstratum est, Sphæricæ sint figuræ, cujus natura, nullas alias patitur locorum differentias, præter superum & inferum, seu ut rectius dicamus, extremum & medium, rectè Mundo nullas alias tribui posse putamus.

XV.

Licèt Astra immutabilitate gaudeant, terrenus tamen globus, ut habitaculum nobilissimæ, omnium creaturarum, hominis scilicet, ornatisima & nobilissima Mundi pars est.

Hominem creaturarum omnium perfectissimam, & nobilissimam esse, ut rectè microcosmi encomio ornatur, extra omne dubium est: in hunc enim totius Mundi Ideam, veluti in lucidissimum speculum, Sapientissimus Architectus, ut omnium suorum operum complementum, collocavit, ex quo deducere possumus, prærogativam ornatus & perfectionis habitaculi, hujus perfectissimæ creaturæ; ad quod accedit, quòd in eodem quasi Mundi centro, ut loco, ubi omnis virtus unitur, maximum & numerosissimum corporum viventium gregem, in & supra illud, Creator Sapientissimus, præ aliis Mundi partibus, tantumquam horto totius Mundi amœnissimo, coacervaverit.

Et his

Et his positionibus quantum per ingenii tenuitatem licuit, totius istius universi Σκιαγραφίαν utcumq; proponere volui, memor illius quod Apostolus, 1. ad Cor. cap. 7. vers. 31. ait.

Χρώμενοι τῷ κόσμῳ τὰς ὥς μὴ καταχρώμενοι,
ὡς ὅτι τὸ γῆμα ἔστίς κόσμος
τῆς.

F I N I S.

